Virginis gloriose ante gradus maioris ecclesie Civitatis Senensis tam presentibus quam futuris salutem et sinceram in domino caritatem
Devotio religionis et vestri ordinis spiritualis sublevatio infirmorum grata et copiosa subsidia que in multis et variis necessita-
tibus constitutis per vos continue largiuntur et alia multa caritatis et pietatis opera que per vos devotissime exercentur me-
rito nos excitant et movent ut cum se tempus accomodat in vestris iustis supplicationibus sive postulationibus vobis reddamur
ad gratias liberales. Hinc est quod cum vos piis et caritativis operibus intendentes multis sitis negotiis egenorum et pauperum occu-
pati propter quod debetis tamquam veri fautores et defensores pauperum a singulis exonerari et ab omnibus vexationibus sublevari,
vobis et hospitali vestro et singulis vestris fratribus ex certa scientia auctoritate ordinaria presenti privilegio indulgemus quod
vos vel alter vestrum realiter vel personaliter a nostris subditis non possitis alibi quam in castro Sciani nostre diocesis eidem hospi-
tali et diocesanis nostris congruo et communi per nostras delegationes vel subdelegationes generales vel speciales directe vel indirecte
tacite vel expresse ad iudicium evocari vel quomodolibet conveniri nisi de hospitali vestro et ordine in nostris delegationibus
sive subdelegationibus expressa et specialis mentio habeatur. Nos enim omnem commissionem subdelegationem vel impetrationem super
quocumque negotio in quemcumque vel quoscumque a nobis actenus seu vicario nostro factam aliter exnunc tenore presentium revocamus
illamque deinceps carere viribus decernentes ac nullius penitus existere firmitatis. In quorum testimonium presens privilegium
per infrascriptum notarium nostrum scribi et publicari mandavimus illudque sigilli nostri munimine roborari. Actum et datum Aretii in episcopali
palatio sub anno domini ab incarnatione ipsius millesimo trecentesimo decimo nono indictione secunda tempore sanctissimi patris domini Iohannis pape xxii die xxiiii Iulii
presentibus dominis Gerio de Bolognan canonico Aretino, Albizo de Albergottis, ser Blanco Ubti [?] de Aretio et ser Donato Pore [?] de Seris [?] testibus.

Ego Iuncta olim Mencii de Montelucii civis Aretinus imperiali auctoritate iudex ordinarius et notarius ac dicti domini episcopi notarius
et scriba publicus predictis omnibus presens fui eaque de suo mandato scripsi et publicavi rogatus.

Arch. Caped. 1319 Juli 24